



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Virtute Ac Sacramento Pœnitentiæ Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio VI. Argumentum. Agitur de voluntariis proprii corporis flagellationibus, pro culparum satisfactione. De usu flagellationum apud Judæos, & apud Romanos. De Flagellatione Domini Nostri Jesu ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94661)

Sed audiant, & stupeant Ecclesiastici, suam carnem à vermibus devorandam nimium diligentes, quod scriptum est ab auctore vitæ Ven. Servi Dei Petri Forerii, vulgò *Patris de Matincour* Generalis Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris, Ordinis S. Augustini libr. 2. cap. 14. pag. 402. his verbis: Plerumque dorso CILICIUM tam asperum gerebat, ut illud aspectantibus horror incuteretur; nec deponebat unquam, nisi fuisset integrè putrefactum; vel morbo prostratus cogeretur admittere, ut humeris avelleretur: quod tunc aded vermium colluvie scatebat, ut in terram projectum ab illis moveretur. Utique cum patientissimo Job dicere poterat: Putredim dixi, pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus. Id est, ut commentatur Tirinus in Job. 17. 14. Cum istem vermibus arctissima societate jungar. Et prolequitur idem Auctor narrare crassissimum flagellum, quo prædictus Pater Forerius creberrimè utebatur, & quod repertum aliquando fuit cruore tinctum, & profusum attritum.

Quod si ad Sacras Virgines calamus se convertat, inter has primum locum obtinet Sancta Cæcilia, de qua in responsorio quarto canit Ecclesia die 22. Novembr. CILICIO Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat. Et ne tedio sit Lectori plurius SS. Virginum cilicio tenera corpuscula sua assigentium teferre, satis sit ex penultimo sæculo illud Sanctæ Teresiæ adducere, de qua in lect. 6. legimus; Tam anxio castigandi corporis desiderio astuabat, ut quamvis secus suaderent morbi, quibus affligebatur, Corpus CILICIS, catenis, urticarum manipulis, aliisque asperrimis flagellis sæpè cruciaret; & aliquando inter spinas volutaret; sic Deum alloqui solita: Domine, aut Pati aut Mori. Et in sæculo proximè evoluto illud Sanctæ Virginis Magdalene de Pazzis, de qua in lect. 4. die 25. Maii sic testatur Ecclesia: Corpus suum CILICIO, flagellis, frigore, inedia, vigiliis, nuditate atque omni paenarum genere cruciabat. His addere liceat exemplum Venerabilis Monialis Bassanensis Joannæ Mariæ Bonomæ, quæ anno 1670. meritis, & sanctis operibus plena ad æternitatem transivit, de qua Auctor ejus vitæ lib. 5. cap. 12. pag. 301. sic notat: Cingea parimente con CILICIO ordito di ferree punture i suoi lombi, tenendo in questo modo guarirò da ogni spirituale piaga il suo spirito, mentre con quelle cuspidi tormentose tenea spalancate di continuo mille ferite nel corpo. Neque tacendum Principissæ Catharinæ Farnesie exemplum, quæ inter Carmelitas Discalceatas Parmæ Teresiæ Margaritæ nominata, Anno 1683. virtutibus, ac meritis magis quàm Serenissimis Natalibus præfulgens ad æternum Sponsum evolavit; de ea enim sic narrat Confessarius in ejus vitæ, cap. 17. pag. 232. Stringevasi tanto le catene alli fianchi, che bisognò ripararvi coll'obbedienza. Et paulò post: Tanto dico della continuazione de' CILICII, e Croci puntate di ferro, che quasi sempre portava. Horride parimente furono le sue discipline, che non finivano senza sangue. Et inferius: Non contenta delle discipline, & cilicii ordinarii, ne trovò di stranamente penosi, cioè discipline, e cilicii con setole, e punte di ferro, che coprivano tutta la vita ed i ovesto da poi m' inhorridii al vederli tinti di sangue; e le ordinai a valersi solamente de gl' usati, & ordinarii.

Sanctarum Viduarum gloriosas in ciliciis pœnitentias lector plurimas reperiet apud Surium; qui cæteris relictis; de Sancta Heduvige Ducissa Poloniæ die 15. Octobr. tom. 5. cap. 4. in ejus vitæ ita scribit: Asperum CILICIUM, e setis equorum conse-

ctum, ad nudum corpus ferebat, cui manicas albas panno assuerat, ut pie illuderet oculos intruentium, ne ab eis latens infuscus vestis aspera cerneretur. Et in vitæ Sanctæ Elisabeth Regis Ungarorum filia, tom. 6. die 19. Novembr. cap. 7. subdit: pretioso deinceps amictu, quoad ejus persone, quam gerebat, honestas pateretur, abstinuit; itaut sæpè numero sub holericis vestibus CILICIUM gestavit.

Tandem referendum foret plurimos quoque viros laicos usos fuisse ciliciis, pœnitentiæ causa, ad imitationem Sanctorum. At quia nimis longa esset relatio, quæ ex historiis sacris deduci posset, satis est innuere CILICIUM Comitissæ de Ciperres, de qua Audin. d. part. 1. Fab. Heroic. pag. 15. & illud Uxoribus B. Jacoponi, ut in Vita ejusdem Beati, nec non notare Exemplum non solum corporalis pœnitentiæ, sed etiam pœnitentiæ mortificationis animi, unius ex pœnitentibus Sancti Philippi Neri, nomine Alberti, de quo Auctor Vitæ ejusdem Sancti lib. 2. cap. 19. num. 8. hæc ponit: Un altro suo penitente nominato Alberto Legnajuolo domando licenza al Santo di portare il CILICIO, e Filippo gli disse, che si contentava; ma con questo, che lo portasse sopra la Casacca Obbedi il penitente con ogni pretezza, e lo portò così fino alla morte: per lo che fu dalla gente cognominato Berto dal CILICIO. Utique cum majori merito ob obedientiam, & sui ipsius derisionem; quàm si in abscondito solam carnem pungendo illud detulisset. Hæc satis sint, tum ad ostendendum usum perennem in Ecclesia Catholica Ciliciorum ob amorem pœnitentiæ; tum ad excitandos fideles nostrorum temporum ad illius delationem; etsi nimis vera sit sententia illa Divi Ambrosii, de penit. lib. 2. cap. 10. Facilius inveni, qui innocentiam servaverint, quàm qui congrue egerint penitentiam. Quæ de Ciliciis dicta sunt, fraternizant cum voluntariis flagellationibus, & disciplinis, quarum iidem usus perennis fuit apud primitivos Christianos, ut ex iisdem Vitis Sanctorum constat; & in sequenti Decisione ostendemus.

DECISIO VI.

ARGUMENTUM.

Agitur de voluntariis proprii corporis flagellationibus, pro culparum satisfactione. De usu flagellationum apud Judæos, & apud Romanos. De Flagellatione Domini Nostri JESU CHRISTI, Sanctorum Clericorum, ac peccatorum. Quas circa omnes ponuntur eruditiones plurimæ, atque Canonum, Legum, ac Historiarum intellectus.

SUMMARIUM.

- 1 Flagellorum usus, & numerus apud Judæos antiquos.
- 2 Judæi spontè nunc se flagellare aliquando faciunt.
- 3 Romani flagellabant Reos duplici modo.
- 4 Tarsenses fruebantur nobilitate Romanorum.
- 5 Paduani eandem Romanorum nobilitatem adepti erant.
- 6 Milites Romani cadebant reos flagellis.
- 7 Flagellatio Redemptoris fuit crudelissima ob quinque causas.
- 8 Christus an ligatus facie versus columnam, vel tergo in flagellatione?

9 Flagellatus

- 9 Flagellatus fuit Christus flagellis, virgis, & scorpionibus.
- 10 Sancti ab initio Ecclesiæ seipfos flagellabant.
- 11 Casinenses quot, & quibus diebus se flagellent disciplina?
- 12 Disciplina odio habetur à diabolo.
- 13 Clerici peccantes olim jussu Episcopi flagellabantur.
- 14 Peccatores quomodo, & quare flagellentur à Deo?
- 15 Mauriti Imperatoris divina flagellatio.
- 16 Flagellantium hereticorum secta anno 1313.

Quoniam voluntariæ proprii corporis flagellationes inter præcipuos actus pœnitentiales connumerantur, de iis est hic brevis dissertationum, & occasione ipsarum videbimus

Primo, De flagellationibus Judæorum.

Secundo, De flagellationibus Romanorum.

Tertio, De flagellatione JESU CHRISTI Redemptoris nostri.

Quarto, De flagellationibus Sanctorum.

Quinto, De flagellationibus Clericorum.

Sexto, De flagellationibus peccatorum.

Quo ad Primum. Apud Judæos erant in usu flagellationes ex lege Deuteronomii, in qua ita cap. 25. Vers. 3. statutum erat: *Judices impium condemnabunt impietatis: si autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, prosterneant, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Ita dimittat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne scilicet laceratus ante oculos pereat frater tuus.* Et circa hanc Judæorum legem, duo notantur à Doctoribus; Unum circa quantitatem ictuum, seu flagellationum, quarum numerus erat triginta novem; ne, teste Josepho lib. 4. Antiqu. cap. 8. si quadragenarium numerum compleret, inadvertentia, vel impetu excederent, & legem non servarent. Hinc est, quod Apostolus Paulus referens suos exantlatos labores pro nomine Christi in Epist. 2. ad Cor. cap. 11. Vers. 24. ait, *A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi.* Quinquies enim ab eis fuerat flagellatus; & in quacunque vice trigintanovem flagellationibus percussus. Alterum notandum est circa modum flagellandi reum; quem quidem denudatum in terram prosternebant; ac ejus humeros, & dorsum flagellabant scutica & nervis, aut pelle confecta, teste eodem Josepho. Et ex his apparet crudelitas Hebræorum in flagellatione Salvatoris, ut infra dicemus, quem tot millibus ictuum percussioibus flagellari fecerunt.

Huic legi inhærentes Judæi, etiam hisce temporibus, (et si jus judicandi, ac puniendi non habeant) solent nonnullos eorum intra Synagogas suas, in vigilia festi **כִּפּוּר** *Chipur*, idest magnæ expiationis, hoc modo flagellare. Sedent aliqui Rabbini tanquam Judices, quorum unus tenet scuticam, seu flagellum & pellibus compositum latitudinis manus hominis; & longitudinis cinguli, quo viri ad lumbos utuntur. Muro synagogæ appositæ est pertica, seu oblongum baculum, coram quo Judæus ex sua devotione, & pro peccatis suis delendis flagellandus accedit, & denudat corpus usque ad lumbos. Tunc unus de Rabbini funiculo ligat ejus manus ad prædictam perticam, recitando verba illa Proverb. cap. 3. Vers. 11. *Disciplinam Domini ne abjicias, nec desicias, cum ab*

Doct. Cleric. Tom. 1. Lib. IV.

eo corripieris; quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complaceat sibi. Respondet autem flagellandus verba Jeremiæ capit. 10. Vers. 24. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.* Tunc accedit alius Rabbini cum scutica, & posito cubito manus dextera tenentis scuticam in palma manus sinistra leniter percutit illius humeros, dicens: *Ipse autem misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos: ut legitur in Psal. 77. Vers. 38. Quem versum ter recitat, & quia in eo sunt dictiones tresdecim, ad unamquamque earum dat unum ictum cum scutica; adeo ut per trinam recitationem ictus triginta novem remanent infliti ad præscriptum antiquæ Judaicæ consuetudinis, & ob observantiam legis Deuteronomii. Solvitur postea flagellatus à pertica, qui reputatur absolutus ab omnibus peccatis ob hanc pœnitentialem devotionem, quam **מלקות** *Malkut* appellant; & in solo pervigilio festi expiationis, seu *Kipurim* (de qua de Sacrific. Miss. Decif. XXVII. num. 58. locutus sum) hanc *Malkut* pœnitentialem ceremoniam faciunt; ut fufius differit Juhus Maurocenus, olim inter Rabbinos doctissimus, & ad fidem conversus in suo opere: *Via della Fede mostrata à gl' Hebrai, Roma 1683. part. 2. cap. 40. pag. 668.**

Quo ad secundum. Apud Romanos fuit in usu flagellatio reorum dupliciter: vel ad præventendum ultimum supplicium; vel ad simplicem correctionem. Rei ad mortem damnati, antequam sententiæ executionem subirent, flagris cædebantur. Hinc Vitruvius Privernatium Dux, (erant autem Privernates Cives Urbis Priverni in Campania Romana, vulgò *Piperno*) cum à Romanis defecisset, & à Plautio Consule vivus captus, Romam missus, in carcere fuisset detentus usque ad Consulis triumphum; inde post verbera cum sociis noxæ necatus est; ut notat Sallianus ad Annam Mund. 3725. num. 8. ante Christum Anno 328. Et concordat Polybius lib. 1. pag. 7. narrans, quod Romani Rheginos rebelles, tandem ab iisdem bello injecto devictos, & plusquam trecentos in sua potestate vivos redactos, omnes in forum productos, flagris cæcos, pro more populi Romani, securi percusserunt; ut meminit idem Sallianus Anno 3783. num. 7. Quamvis etiam Macedonum hunc usum fuisse flagellandi ultimo supplicio afficiendos recenset Quinto Curtio, ac Arriano idem Sallianus Anno Mund. 3726. & ante Christum Anno 327. ubi n. 7. iussu Alexandri Magni Besum homicidam, proditorem Darii Regis, flagris fuisse cæsum, deinde capite truncatum scribit. Et ex hoc usu nonnulli ex SS. Patribus opinati sunt, Christum Dominum bis fuisse flagellatum; scilicet, ante & post sententiam Pilati; quamvis verior sit opinio, quod antequam condemnaretur, ad mortem fuerit semel flagellis cæsus, ut advertunt Barrad. in Concord. Evang. tom. 4. lib. 7. cap. 6. & Menochius in Histor. Sacra part. 2. lib. 7. cap. 15. num. 5.

Ad correctionem etiam simplicem Reorum, & ob levia crimina, solebant Romani eos flagellare; cum hac differentia, ut homines liberi, (infimæ tamen, & humilis conditionis) fustibus cæderentur; servi verò flagellis. lib. 10. ff. de Pœnit. l. 4. ff. de Incend. ruin. & naufrag. l. 6. ff. de Accusat. Et hinc est, quod Divus Paulus, à

tur.

turba Judæorum oppressus Hierusalem, cum iussisset Tribunus, ut satisfaceret turbæ ad instar Palatii. Apostolum flagellis cædi; dixit astanti sibi Centurioni Paulus, Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare? Quod cum Centurio retulisset Tribuno, protinus discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. *Act. 22. 26.* Siquidem Apostolus erat Civis Tarsensis; Civitas autem Tarسی fruebatur privilegio nobilitatis Romanæ, ut ex Plinio *lib. 5. cap. 27.* & ex Dione Cassio *lib. 47.* notat Menochius in *Act. Apost. lib. 3. cap. 3. num. 4.* addens, ejusdem nobilitatis prerogativam sub Pompeio Strabone, ac Julio Cæsare, extensam ad omnes urbes Italiæ, & illa etiam Patavium fruebatur. Urfat. in *Hist. Pat. pag. 32.* Deinde pervenit, sub Antonino Imperatore, ad omnes nationes subditas Romano Imperio; ac si ex eis una Civitas formaretur, prout cecinit Numantius poeta antiquus de urbe Roma, quæ totum orbem complectebatur:

Dumque offers victis proprii consortia juris,

Urben fecisti, quod prius Orbis erat.

Itaque Divus Paulus non fuit à Tribuno illo flagellatus, quia tanquam homo liber, & Civis Romanus subjiendus non erat huic pœna, quæ ad solos servos spectabat duplici de causa; una, ob ignominiam, quia corpus flagellis cædendum nudabatur; altera, quia dolor erat intensior: siquidem à flagellis cutis rumpebatur, & extrahebatur sanguis; nam, ut considerat Tholosan. in *Synagm. Jur. lib. 29. cap. 11. in fine*, flagellum erat scutica habens in summitate glandes plumbeas, & lora hamata; & dicebatur Scorpio, cui in cauda servi addebantur appendices quibus cutis misere leniatur. At, quid essent flagella nominata Scorpiones, optime declarat Eminentiss. Cardin. Baronius in notis *Martyrolog. Rom. 12. Junii*, ubi eum dicitur SS. Martyres Basilidem, Cyrinum, Naborem, & Nazarium milites fuisse ob Christiani nominis confessionem Scorpionibus laceratos; subdit: Quid autem per Scorpionem intelligas, habes ex *Isidor. lib. 5.* Orig. cum ait: *Virga si est nodosa, vel aculeata, Scorpio recentissimo nomine vocatur, quia acuto vulnere in corpus insiguitur.* His similes erant virgæ palmeæ, aculeos habentes, qui inhaerent castrorum lateribus. Et paulo post: Caterum est & Scorpio telum militare, quod à Cretensibus esse adinventum auctor est Plinius *Natur. Histor. lib. 7. cap. 56.* Nec tacendus Tiriinus, qui in *Comment. 2. Paralip. 10. 14.* ita de Scorpionibus, quibus Roboam minatus fuit cedere populum, scribit: *Nota, Scorpiones hic vocari plantas spinosas, vel etiam lora, quæ aduncis aculeis, seu stimulis armantur sicut Scorpius, & ita corpus pulsant, ut etiam lacerent, ac diserpant;* & in hoc à flagellis distinguuntur, qualia sunt nuda lora, vel tauræ, vel virgæ ex lentis, seu arborum, seu fructuum ramis, quibus corpus solum pulsatur, seu tunditur, non verò etiam diserpitur. *Columella lib. 3. cap. 10. de Viribus.*

Ex his deprehendere licet crudelitatem, & sævitiam Romanorum, aliarumque nationum gentilium in puniendis hominibus, eorum corpora absque ulla pietate instrumentis tam afflictivis lacerando: eo magis, quia ministri in flagellando culpabiles erant milites, teste Tertulliano de *Corona Milit. cap. 11.* ubi suadens Christianis, ne

militarent, hæc ait: *Et vineula, & carcerem, & tormenta, & supplicia administrabit, nec suarum ultor injuriarum?* Et docet Tolosan. *d. lib. 31. cap. 11. num. 10.* agens de flagellationibus, quæ semper dabantur per manus militum, de quibus illud:

Nulla fides, pietasve viris, qui castra sequuntur.

Et hinc est, quod licet à Legibus Romanis prohibitum foret, aliquem verberari, flagellarive usque ad mortem, nihilominus non semel eveniebat, ut miser Reus sub flagellis moreretur, ob nimiam scilicet crudelitatem flagellantium. *d. l. Aut damn. num. 8. §. Hostes autem. ff. de Pœnis.* Hæc autem pœna flagellorum à Principibus Christianis est abolita, tanquam nimis dira, & ab omni sensu humanitatis aliena.

Quo ad Tertium: Flagellatio Redemptoris nostri JESU CHRISTI fuit acerbissima ob quinque genera causarum in ea concurrentium, scilicet materialem, formalem, efficientem, instrumentalem, ac finalem. Causa materialis fuit ejus delicatissimum Corpus, & perfectissima anima; nam, ut considerat Scotus relatus ab Eminentiss. Cardin. de Lauræa de *Incarnat. disp. 17. art. 11. num. 225* Dolor oritur in appositione objecti disconvenientis super sensum tactus: & ex *Arist. 2. de Anima text. 94.* secundum proportionem bonæ dispositionis dolor est major. Sed Christi Corpus erat optimæ dispositionis, quia optime complexionatum; & anima ejus erat perfectissima; plura autem objecta disconvenientia fuerunt ei applicata; ergo maximus in eo fuit dolor, præcipue in flagellatione totius Corporis. Idem docet Angelicus Doctor *3. part. q. 46. art. 6.* ubi inter cæteras rationes maximi doloris Christi in ejus passione, ait: *Potest magnitudo doloris ejus considerari ex perceptibilitate patientis, & secundum animam & secundum corpus.* Nam & secundum corpus erat optime complexionatum, cum corpus ejus fuerit formatum miraculose operatione Spiritus Sancti; sicut & alia, quæ per miracula facta sunt, fuerunt aliis potiora (ut Chrysostomus dicit de vino, in quod Christus aquam convertit in nuptiis) & ideo in eo maxime viguit sensus tactus, ex cuius perceptione sequitur dolor. Anima etiam secundum vires interiores, efficacissime apprehendit omnes causas tristitiæ, &c. Causa formalis fuit denudatio illius Sacratissimi Corporis, ex qua vehemens fuit animæ ejus afflictio ob verecundiam, & ignominiam; ac etiam quia manus ipsius fuerunt ad columnam alligatæ. Hinc Deipara in revelationibus S. Birgittæ *lib. 1. cap. 10. num. 7.* sic ad eam narravit de Divini Filii sui flagellatione: *Ductus ad columnam personaliter se vestibus exuit: personaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici sine misericordia ligaverunt. Alligatus autem nihil omnino operimenti habebat, sed sicut natus est, sic stabat; & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ.* Quod si quis quærat, utrum columnam versus staret facies, vel tergum flagellandi? Respondeo, quod licet ex pictis imaginibus Salvatoris appareat, tergum stetisse versus columnam, faciem autem, pectus, & ventrem versus spectatores; contrarium tamen est verius, videlicet, faciem, & pectus, ac ventrem adhaerisse columnæ; tergum verò, ac dorsum è converso

expa-

expositum fuisse tunc oculis spectatorum, tunc flagellis carnificum; ut docet Gretserus de Cruce lib. 1. cap. 10. relatus à Menochio Histor. Sacr. lib. 7. cap. 15. num. 6. ubi allegat auctoritatem Aurelii Prudentii Poetæ Christiani, qui floruit Anno 390. sub Theodosio Seniore, & filiis ejus: & describens flagellationem ait:

Atque columna

Annexus, tergum dedit, ut servile flagellis.

Idque ratio suadet; si quidem si tergum versum columnam alligatum fuisset, quomodo potuisset flagellari? Quomodo verificatum fuisset vaticinium Psalmistæ: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. Psal. 128. 3.* ubi Tironius sic habet: *Idest hostes mei quasi fabri dorsum meum continuis malleorum ictibus quam diutissime contruderunt. Hebraice, Chaldaice, Aquila, Theodotion, & S. Hieronymus araverunt aratores, & in longum pertraxerunt arationem, vel sulcum suum. Allegorice convenit Christo flagellato, & Martyribus.* Quod si diceretur, flagellis caelum fuisse ventrem, & pectus; præter crura, coxa, & brachia. Respondet, si principaliter fuisset pectus flagris, flagellive percussum, statim ut moreretur homo, opus esset, non enim os stomachi resistere potest vehementi percussioni sui ipsius; teste Paulo Zacchia in *Q. Q. Medicolegal. tom. 1. lib. 5. tit. 2. q. 10. n. 4.* ita scribens: *Nulli dubium esse debet, quod ubi percussiones, & ictus validi fuerint in stomacho, in pectore, & in regione hepatis, possunt esse proxima causa mortis.* Hoc autem in pronominationis partibus facile fit ob rupturam, & lacerationem interiorum aliquorum vasorum, & aliquando ob exquisitum partis sensum, ut in stomacho, præcipue secundum os. Non inficior, Redemptorem nostrum plagas receperisse, dum flagellaretur, etiam in costis, & in pectore; aitenim Deipara ad S. Birgittam. d. lib. 1. cap. 10. num. 8. *Vidi corpus ejus verberatum, & flagellatum usque ad costam, ita ut costas ejus viderentur.* Quandoquidem elatis, ac ligatis brachiis furtim ad columnam, costæ expositæ remanebant flagellationibus; neque pectus, aut stomachum erat omnino securum, quamvis columnam versum, quia in extremitate flagellorum, ut notavimus supra ex Tholosan. *Syntag. Jur. lib. 31. cap. 11. n. 17.* addebantur appendices cum glandibus plumbeis, & ferreis hamis, quæ flecebantur ad omnem ictum, & attingere poterant corporis partem respicientem ipsam columnam. Causa efficiens fuerunt ipsi milites Romani; quos fuisse immanes quis dubitat? Immo, ut scribit Suarez in 3. p. tom. 2. disp. 35. sect. 3. *Vers. Dico tertio. Conjectare licet, eos magna vi adhibita CHRISTUM verberasse, quod ex aliis conviciis, quibus eum affecerat, non obscure colligitur; & præsertim, quia præter insum præsidis videntur illum spinis coronasse; quod significavit Joannes, cum subdidit: & milites plectentes coronam de spinis, &c. Jo. 19. Et verisimile etiam est, Judeos, qui aderant, milites incitasse, & data etiam pecunia corrupisse, ut eum acrisus verberarent.* Instrumentalis causa fuerunt Flagella diversarum specierum, & ea acerbissima, de quibus locuti sumus supra, & agit Juss. Lipsius de Cruce lib. 2. cap. 3. Et licet SS. Evangelistæ non explicant, quibus flagellis in specie Christus verberatus fuerit; SS. Patrum traditio est, quod fuerit flagellatus virgis, scorpionibus, & ferreis catenis, ut pie meditatur S. Vincentius Ferrerius in *Sermone de Parasceve*; ac Lanipergius lib. 3. *Elucidat. in Christi Doct. Cleric. Tom. 1. Lib. IV.*

si passione, Ligato (inquit) Domino, accesserunt quatuor viri robusti, Christum flagellaturi; & flagellis, virgis & scorpionibus, in quibus erant unci ferrei, ipsum flagellarunt. Et revelatio Deiparæ ad S. Birgittam lib. 4. cap. 70. subdit: *Flagellis aculeatis, infixis aculeis, & retractis, non evellendo, sed sulcando totum Corpus ejus laceratur.* Addit etiam Suarez d. tom. 2. in 3. par. disp. 35. sect. 2. *propè finem: Alii dicunt, Christum primo fuisse funibus crassioribus flagellatum, secundo additos esse ferreos scorpiones, tertio catenis, quarto virgis spineis caesum.* Causa tandem finalis ostendit acerbitatem flagellationis Salvatoris; ipse enim eam voluit sustinere, ut pro peccatis omnium hominum de rigorosa justitia satisfaceret; ait autem Angelicus Doctor d. 3. p. qu. 46. art. 6. in fin. *Christus voluit genus humanum à peccatis liberare, non sola potestate, sed etiam justitia.* Et ideo non solum attendit, quantam virtutem dolor ejus haberet ex divinitate unita; sed etiam quantum dolor ejus sufficeret secundum humanam naturam ad tantam satisfactionem.

Quo ad Quartum: Circa flagellationes Sanctorum illud unum est advertendum, in obsequium, & reverentiam flagellationis Filii Dei, semper consuevisse Sanctos viros, etiam in primordiis Ecclesiæ, seipsos voluntarie flagellis cadere. Cujus rei testimonium petit Apostolus. 1. Cor. 9. 27. dum ait: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Nam verbum illud *castigo* in textu græco est *ἐπιτιμᾶω*, hypopiazō, quod proprie significat, castigare percutiendo, & flagellis cadendo, ut lividum evadat; & advertit Menochius in *Storeis par. 6. Centur. 11. cap. 58.* & Tironius ita commentans: *Castigo corpus meum, per jejunia, vigiliis, cilicia, flagella, nam græcum ἐπιτιμᾶω etiam Beza, Melancthon, Castalio, & Henricus Stephanus vertunt, Contundo, contusio autem non fit sine percussione, & verbera.* Hinc est, quod ab omnibus Patriarchis, & Fundatoribus Religionum, inter cetera opera penalia per Religiosos piæexercenda, instituta est voluntaria corporis flagellatio certis diebus insimul praticanda, ut legitur in *Regula S. Benedicti cap. 49. in Declar. num. 2.* his verbis: *Et ut juxta Regulam augeamus aliquid ad solitum pensum servitutis nostræ, ultra Psalmos Penitentiales, Graduales, & Officium Defunctorum, Flagellatio, vulgò disciplina, quæ à nostris fit omni tempore feria sexta, fiat tota Quadragesima, quarta, & sexta feria: in hebdomada verosancta, addatur etiam feria quinta.* Hanc autem magno periculis diabolus odit, ac timet; Ideo in Vita S. Mariæ Magdalene de Pazziis (ut ex Vincentio Puccinio, ac Virgilio Cæcario Soc. Jesu refert P. Carolus Gregorius Rosignolus de Mirabilib. Dei in Sanctis suis Centur. 2. part. 2. Mirabil. 36.) habemus, eandem Sanctam Virginem demones sibi insultantes disciplina, qua utebatur, sæpe percussisse, ac fugasse; eosque tremantes ab obsessis discedere, ostenso tantummodo flagello prædictæ Virginis. Pariter in Vita Ven. Mariæ Velæ part. 1. cap. 16. legitur; eadem se in cella flagellante, diabolum alicujus monialis vocem, & gressum simulare consuevisse, ut à pio illo opere se abstineret. Sed nec tacendum, quod narrat P. Eusebius Nierimbergus in *Opusculo Virgii Coronata cap. 2. §. 8.* scilicet Carolum Quintum Imperatorem, dimisso Imperio, per biennium, quo habitavit in Monasterio Justæ, singulis sextis feriis

riis simul cum Monachis ad voluntariam sui corporis flagellationem accessisse; ac tam sævè seipsum disciplinasse, ut funiculi frequenter disrumperentur.

Quo ad Quintum. Circa flagellationes Clericorum scire oportet; antiquitus fuisse in usu, quòd clerici delinquentes jussu Episcopi flagellarentur, *cap. Quia juxta 5. q. 6. cap. Nullus clericus 11. q. 1.* quatuor tamen cautelis, seu conditionibus servatis: prima, ne Episcopi propriis manibus clericos verberarent, *cap. Non liceat. 86. dist.* Altera, ne per manus laicorum sub pœna excommunicationis, *cap. Universalis. 24. De Sentent. Excom.* Tertia, ne in flagellatione extraheretur sanguis, ideoque ne ultra trigintanovem ictus darentur; aliàs incurreretur irregularitas, *cap. His, à quibus. 23. q. 8. cap. In Archiepiscopatu. 4. de Raptorib.* Quarta, ne flagellatio fieret in publico, sed secretè ad evitandam infamiam, nisi Clericus gravissima culpa reus fuisset antea degradatus, Giballin, *de Clausura Regular. disquis. 2. cap. 4. n. 41.* & Gonzalez in comment. ad *cap. 1. de Calumniatorib. num. 15. in fin.* Hodie tamen hujusmodi pœna recessit ab aula; adeòt hisce temporibus nefas esset Episcopis præcipere, ut clerici flagellarentur, juxta antiquorum Canonum dispositionem, in quibus statutum est, quòd Episcopi debeant à verberibus abstinere, *cap. 1. dist. 45.* & quòd nullus clericus sit verberibus afficiendus *ead. dist. 45. cap. 2.* & *cap. Cum beatus.* Et quòd ubique Prælati abstinere ab impositione hujus pœnæ, testatur Diaz in *Praxi Crimin. cap. 136. in addit.* & Jul. Clarus *libr. 5. §. fin. quest. 70. num. 2.* qua propter, etsi Illustrissimus Sarnelius Episcopus Vigiliarum in suis *Epist. Ecclesiast. tom. 1. Epist. 22.* opinetur, etiam in præsentè licitum esse flagellare clericos; pace eruditissimi hujus Viri, contrarium est omninò tenendum, quia hodie flagellantur tantummodo fures, marioli, incensores burfarum, truffatores, falsi testes, & similes personæ viles, & infames, ut tradit Farinacius de *Delictis, & pœnis quest. 19. n. 29.* & hæc pœna flagellorum est gravissima, ac irrogat infamiam. Menochius de *Arbitr. q. 80. num. 40.* & 41. Chartarius in *Criminal. Decif. XXIII. num. 31.*

Quo ad Ultimum. Circa flagellationem peccatorum, agi potest vel mysticè, vel historicè. Primò modo, advertendo, quòd peccatores flagellantur à Deo in hac vita, ne puniantur in alia. *cap. Quid ergo 23. q. 5.* Exemplum insigne est illud Mauriti Imperatoris, qui spoliatus Imperio à Phoca, jussu ejusdem, vidit antè suos oculos quatuor filios masculos necari, deinde & ipse occisus est, quia, ut scribit Spondanus *Anno Christi 603. num. 4.* reus erat ipse Mauriti de tot millibus innocentium Christianorum, quos passus fuerat à Rege Avarum immaniter trucidari, cum minimo eos potuisset redimere pretio: quare facti pœnitens scripsit ad omnes Patriarchas, & Monachos Orientis, ut à Deo peterent, ut ipse de peccatis admissis in hac vita, & non in futura pœnas lueret.

Historicè verò notanda est Secta hæreticorum se Flagellantium; quæ orta est Anno 1313. circiter, & fuit multitudo magna Virorum, ac Mulierum, qui prætextu pœnitentiæ per publicas vias nudatis humeris se flagellabant, & ex Italia processerunt in Germaniam, & Galliam, plurimos ac sui sequelam trahentes: at inde magni errores emerferunt, quia dicebant, suam flagellationem efficaciorè esse pro remittendis peccatis Sacramentali Confessione; baptismum aquæ cessasse,

attento eorum baptismate Sanguinis, quòd erat majoris valoris martyrio Sanctorum; nullumque Christianum posse salvari, nisi seipsum spontè flagellis cruentaret: terminatum esse Evangelium, ac licitum esse perjurium, ut citatis Auctoribus eorum temporum ostendit Sales de *S. Inquisit. tom. 2. libr. 3. cap. 15. Reg. 278. à num. 185. & segq.* Quæ Secta à Gregorio Papa Decimo, implorato Regum, ac Principum Christianorum brachio, destructa fuit; ac ab eodem decretum, ne in posterum quavis secta, societas, seu religio institueretur, quæ prius ab Apostolica Sede non esset examinata, ac approbata, *cap. 1. De Religiosis Domib. in 6. Odoric. Rainald. in Annal. Anno 1274. n. 33.* & novissimè Illustrissimus Battaglinus Episcopus Nucera in sua *Historia Conciliorum Univers. Anno 1274. de Concilio Lugdunen. 2. n. 16.*

Reassumendo igitur meritum flagellationis Christi, & ad ejus imitationem flagellationes Sanctorum, ac utriusque sexus Christianorum, per eosdem in proprio corpore voluntariè exercitas; exardescat lector, & alios inflammet desiderio illas prædicandi pro satisfactione propriarum culparum, memorans quod dixit Apostolus 2. Cor. 13. *Si compatimur, & conglorificabimur.*

DECISIO VII.

ARGUMENTUM.

Utrum pœnæ, & afflictiones ab agente extrinseco, sive creato, sive increato provenientes sint aptæ ad satisfaciendum? Argumenta pro opinione negativa, & affirmativa quæ amplectitur; & firmatur Auctoritate & Ratione. Exempla culparum satisfactorum per tolerantiam afflictionum ab extrinseco provenientium.

SUMMARIUM.

1. Pœnæ, & afflictiones nobis illatæ sive à Deo, sive ab hominibus an sint satisfactoria pro nostris culpis?
2. Quod non; rationes tres.
3. Quod sit. Auctoritas, & Ratio.
4. Ratiocinatio quid sit, & ejus valoris?
5. Deus his non judicat in idipsum.
6. Deperdit in Diluvio homines an omnes damnati.
7. Exempla fructuosa sufferentia in afflictionibus.
8. Repugnancia sensus in patiendo non adimit meritum promptæ voluntatis.
9. Myrrha est symbolum Pœnitentiæ, dupliciter.

Egitur hucusque de pœnalitatibus voluntariè assumptis ad satisfaciendum pœnis debitis pro peccatis, quo ad culpam dimissis, videlicet de Jejunio, Cilicio, & proprii corporis flagellationibus; restat ut videamus, Utrum pœnæ, & afflictiones ab agente extrinseco, sive creato, sive increato provenientes, sint aptæ ad satisfaciendum; sive sint universales, puta fames, bella, pestis; sive particulares, nempe infirmitates, egestates, dolores, carceres, persecutiones, & similes?

Et prima fronte videtur dicendum, has pœnalitates non esse aptas ad satisfaciendum. Primò quia, ut diximus supra *Decif. IV. n. 1.* Satisfactio est redditio voluntaria. At homines non patiuntur voluntariè, sed coactè supradictas pœnalitates; & naturaliter homo dispositus est fugere, & evitare pœnalitates, & persecutiones; immò hoc videtur docuisse Christus, dum ait Apostolis, *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Matth. 10. 23.* & habetur in *cap. Sicut alterius 7. q. 1.* & ipse Christus fugit ab Herode in Ægyptum. *Matth. 2. 13. Hieronym. 7. q. 1. & 23. q. 3.*